



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

[§. 3.] Amor Christi in nos, super illud Joan. 13. In finem dilexit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

§. III.

*Amor Christi in nos, Super illud Joannis 13.**In finem dilexit.**Figura.**Ex Veteri, & Novo.*

*D*orsum ad pedes ejusdem tunicae per circum, quasi mala Punicas facies mixtis in medio tintinnabulis. Ex. 28. 33. Rupertus l. 13. in Jo. qui sunt fines tunicae Sacerdotalis, nisi extrema vitae Domini nostri? quae sunt mala Punicas valde rubentia? nisi ejus, quae majorem nemo habet, charitatis opera. Haec utique mala finibus suae tunicae appendit: quia cum dilexisset suos, qui erant in Mundo, in finem dilexit eos; scilicet suam pro amicis suis animam ponendo. Tintinnabula vero, clarissima sunt dilectionis ejus verba; quibus eos in praedicta coena instituit, & pro ipsis deinceps Patrem rogavit. Luc. de Arcon. in H. 3. Petrus Cell. Abb. lib. de pan. c. 1. videntur mihi tintinnabula pronuntiare ea, quae cum Apostolis habuit Iesus in ultimo sacrosanctae coenae. Mala Punicas, seu granata, habent coronas: divinus enim amor in fine quasi coronatus apparuit. H. 6. 2. *Duabus velabam faciem ejus, & duabus velabant pedes ejus.* Nota: obvelant caput, id est, Divinitatem; sic quoque pedes Ejus extrema Christi opera. Sicut divina natura transcendit nostrum intellectum, sic & opera, ac amor, finis vitae. Sylv. in Jo. 13. q. 15.

In fimbriis aureis. Psal. 44. 14. Aurum Symbolum amoris. Paschasius in hunc psalmum: quia in fine vitae tota perfectio quaeritur. Aloyl. Novar. agn. Euchar.

Pedes ejus sicut in camino ardenti. Apoc. 1. 15. S. Greg. hom. 2. in Ezech. illud H. 31. 9. expendes: *Dixit Dominus, cujus ignis est in Sion, & caminus ejus in Jerusalem;* ait, plus est, caminum esse, quam ignem: quia esse ignis & parvus potest; in camino autem vastior flamma succenditur; non sine mysterio pedes Christi hic non tantum in igne, sed in camino apparent: nam licet Christus per omnem vitam a primo instanti suae conceptionis fuerit in igne charitatis erga nos; sicut visus a Moyse in Rubo Ex. 3. 2. per quod Incarnationis mysterium denotatur, juxta S. Cyrill. Alex. tamen modo pedes ejus, id est, ultima vitae periodus, non dicuntur esse in igne, sed caminò, seu fornace ardenti. *Cum dilexisset suos.* Sylv. hic.

Ex Patribus.

Alii ex Graeco: *perfectissime* seu *vehementer dilexit eos.* Alii ex Hebr. *in victoriam*, seu *contentionem dilexit eos.* Sylv. in Jo. 13. c. 5. Tam alta mysteria haec particula continet ut ad illius finem non sit pervenire. S. Aug. tr. 55. in Jo. quid est *in finem*? nisi in Christum, *finis enim legis Christus.*

R. P. Spanner Poly. Tom. I.

Rom. 10. 4. in seipsum dilexit, ut ad ipsum, tanquam finem, transiret ex hoc Mundo, & cum eo perpetuo uniantur. S. Cyrill. S. Thom. S. Bonav. in finem, id est, usque ad mortem. Sylv. in Jo. 13. q. 9.

Alii legunt, ut supra, *in contentione.* Exiit hodie Christus in contentionem cum Patre, cum Sapientia sua, cum Majestate, cum morte cum amore, cum odio hostium. Exiit quasi in contentione cum Patre, dum hominum causam agit, pro eis satisfaciens, & rogans. II. Cum sapientia H. 65. 2. *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum,* sunt verba crucifixi ad Judaeos, ait Theodoretus. Vocat incredulos, & obduratos; cum dicat seneca ep. 92: non est ars, quae ad effectum casu venit; Sapientiae ars certum petat. Verum verum est, quod Sapientia certum petat; Christus tamen vocat, quos certe sciebat non venturos. Sic erat avidus divinus amor nostrae salutis; ut quasi praemineret Divinae Sapientiae. III. Cum majestate exiit in contentionem, pedes lavans. Exiit in contentionem cum hostibus; an illi magis odisse, aut ille valeat amare. Contendit morte; an illa fortior suo amore? Thr. 3. 3. *tantum in me verti, & converti, manum suam.* Si enim omnia mala, & dolores, conferantur cum Christi doloribus, quasi nullae esse videntur. Id. q. 14.

In finem. Id est, dilectionem erga eos eoque perfecit, ultra quod non posset augeri: videlicet, ut animam suam poneret pro illis. S. Rupert. in Jo. lib. 11. hic.

In finem. Excellentiore erga homines in fine vitae suae dilectionem exhibuit quam in primordio egerit; ut in eorum cordibus arctius infixam remaneret. S. Laur. Justin. de triumph. Christi agone c. 14.

In finem. Quid est, in finem diligere? nisi eis finem dilectionis, id est, dulcedinem fruitionis optare? S. Bonav. in Pf. 118.

In finem. Ad felicitatem, ad beatitudinem, quae est illorum finis, dilexit eos. Cajetan. in Joan. *Dormite jam, & requiescite.* Matth. 26. 45. O grandis amor! verè in finem dilexit eos, cum in tanta positus agonia, eorum procurat quietem. S. Bonavent. Medit. vitae Christi c. 75.

Sciens JESUS, quia venit hora ejus &c. Joan. 13. 1. Horologium, antequam hora sonet, moderatè progreditur in circulo suo, lentèque ictus facit: cum autem hora accedit, ita accelerat; ac tam crebros ictus facit; ut dissolvi totum, corruiere, & perdi, videatur. Christus, divinum horologium, & vitae nostrae sapientissimus moderator, & rector, antequam hora ejus accederet, moderatè res faciebat; ut inter eas esset aliqua distantia: modo praedicabat, modo infirmos curabat, modo defessus iter faciebat, modo pro peccatis nostris in montibus Patrem exorabat. Quando verò venit hora Ejus; ita accelerabat, ut totus dissolvi, & praè amore liquefieri, videretur. Jam agni coenam celebrabat, jam Discipulorum pedes lavabat, jam se illis in cibum tradebat, jam eos dulci praedicatione consolabatur. Philipp. Diez fer. 5. in Coen Dom.

F

Christus

Christus suos in vita dilexit, & amorem usque in finem perduxit: non solum usque in finem vite; sed usque in finem etiam amoris. Tres sunt gradus amoris: I. Cum amicus pro amico divitias ponit. II. Cum honorem in periculum adducit. III. Cum vitam in discrimen pro alio offert. Christus omnes suas divitias nobis dedit; imò corpus ipsum in cibum Angelos ad ministerium. Fecit honoris jacturam affectus tot ignominis. Tandem vitam obtulit, non pro amicis solum, sed etiam pro inimicis. Rom. 5. 8. *Commendat autem Charitatem suam Deus in nobis.* Id. ib.

§. IV.

Amor Christi in nos comparatur Matri ob tenerum in nos amorem.

Ex Veteri.

Apparuit Dominus Gen. 17. 1. Hebr. *El-Saddai.* q. d. ego sum fortis, & liberalis. *Dai,* id est, *sufficiens.* Alii DEum volunt à dando dici, sicut Jovem à juvando. 2. *Saddai* idem est, quod *uber*; *mann.* q. d. mammeus, quòd scilicet dulcis sit, ut lac; quòdque omnia eò charitatis affectu nutriat, quòd mater infantem uberibus applicando fovet. Cornel. à Lap. in Gen. 17.

Meliora sunt ubera tua vino. C. 1. 1. Cur petens osculum, quod ore sit, non ait: quia meliora sunt labia tua vino; sed dicit, *ubera*? Locò uberum multi legunt, *amores tui*: nam vox Hebræa *Dog*, tam ubera, quam amorem, significat: & quia ubera pectus circumsepunt, quod est amoris sedes, pro amore etiam usurpantur. Meritò igitur dona & amores Dei, ubera vocantur cunctis aliis amoribus meliores, & pretiosiores. Quid est Incarnatio Verbi, Adventus Spiritus Sancti, Lex Evangelica, Baptismus, Pœnitentia, Eucharistia? nisi amores Dei? Ludov. de Ponte hic. Ubra ei attribuit, quæ ad matres spectant: ut intelligamus qualitatem amoris ejus. II. 46. 4. *usque ad senectam &c.* Cæteræ matres tantum novem mensibus foetum intra uterum gestant, fovent; post partum tribus tantum annis lactant, fasciis involvunt, portant brachiis, cum eo ludunt, osculantur &c. At postquam filius adolefcit, multa istorum cessant. Non sic Deus noster; sed tanquam piissima mater hæc munia nobiscum multò excellentius exercet per omnem ætatem. Id. ib. Exhor. 3. §. 2.

Osculetur &c. quia meliora &c. id est: utinam jam amorem Matris erga me ostendat: quia tua, ô Domine! materna ubera omnibus aliis amoribus, & delectationibus, sunt meliora. Id. ib.

Meliora sunt ubera tua &c. Doctrina, & lex tua; quam vinum mordax Legis antiquæ; & minæ, quibus me terrebas. Malo amore duci, quam timore; spe præmiorum, quam metu suppliciorum. Id. Exh. 7. §. 2.

Osculetur me &c. Petit sponsa sub metaphora osculi adventum Filii Dei in carne; sub ea-

dem etiam petit adventum Spiritus Sancti. S. Bern. f. 8. in Cant. Spiritus Sanctus jure optimò Patris & Filii, vocatur osculum; quò se invicem osculantur; & quasi signum illius divini amoris quò se invicem semper amant. Attende Dei Patris maternam charitatem: cum enim mater lactans filiolum unò ubere, si ille fastidians illud respuat; non indignatur, nec infantulum deserit, sed potius mulcet, fovet, ac, ut placet illi, abscondit illud uber, & alterum profert, leniter invitans, ut fugat: sic Deus Pater, cum in Mundum misit unigenitum, ut lacte suæ doctrinæ eum lactaret; Judæi, ad quos tunc missus est, ejus doctrinam, & vitam, fastidientes, eum omnino respuerunt: Misericordia tamen, tanquam pia Mater, hoc uber abscondit in Ascensione; & in Pentecoste protulit alterum uber, mittens ad eos Spiritum Sanctum. Id. hic Exhort. 8.

Dixit Sion, dereliquit me Dominus &c. nunquid obliviscit potest mater &c. II. 49. 14. 15. Non dubium est, quin congregatio Sanctorum, quæ prius fuerat in Judæis, & à Domino derelicta est, ista commemoret; & voce lacrymabili conqueretur, se esse derelictam. Cui respondit Deus naturali utens similitudine; si potest fieri, ut mater sui obliviscatur infantis, & ad partum viscerum suorum non flectatur misericordiâ; & ego obliviscar tui. Plus aliquid dicum: *etsi illa oblita fueris*, vincens mentis duritiâ jura naturæ; *ego tamen non obliviscar* creaturæ meæ; & sanctorum animas semper in meo corde retinebo. S. Hier. hic.

Nunquid potest &c. q. d. non potest &c. Quis amor materno amori est similis? Et tamen videtis, quòd divinus maternum amorem excedit. Ergo si non timet homo ad matrem accedere, quam offendit; eò quòd ex natura filium diligit: multò minùs timere debetis redire ad clementiam summi Patris; de quo certum est, quòd magis quam mater in infinitum nos diligit. S. Bonaventura serm. 74.

Ex Patribus.

Ad mamillam Patris, quæ curarum oblivionem inducit, nempe Verbum, confugimus. Clem. Alex. l. 1. pœdag. c. 6.

Quis pastor oves proprio pascit cruore? & quid dico, pastor? Matres multæ sunt, quæ post partus dolores, filios tradunt nutritibus. Hoc autem ipse non est passus; sed ipse nos proprio sanguine pascit, & per omnia nos sibi coagmentat. S. Chrys. ad pop. Antioch. hom. 60. ad pop.

Redite parvuli ad sinum matris vestræ, æternæ sapientiæ; fugite larga ubera pietatis, Dei: transacta plangite, imminetia vitæ. S. Greg. hom. 25. in Evang.

O Mater amorum ô Domine Jesu Christe! S. Idiota de div. am. 6.

Præcellit omnem maternum, ac filialem, affectum Verbi Dei intensa charitas: neque humano valet explicari eloquiò, quò circa unumquemquè moveatur amore. S. Laur. Just. de triumph. ag. c. 5.

Christus offendens perquam amabilem sinum divini sui amoris animæ devotæ, totam ad se attra-